



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrīs Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 1. Saulo fidei, Eunicho baptismi gratia, quàm insperatò oblata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

120 Cap. VI. Bonitas Dei in Baptismo

frumentum, & vinum, & oleum, & argen-
tum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt
Baal, quasi dæmonis, non Numinis dona;
ab Inferis, non à Superis impetranda. Si qua-
re indiges, Patrem adi, non hostem, apud
quem, qui volunt diuites fieri, incidunt in ten-
tationem, & in laqueum diaboli. Hinc tam
multi, ob amissam vnicam vaccam, aut le-
ue damnum, seipsoſ ſuspendunt: verè enim
in laqueum diaboli incident, quem illis te-
tendit.

i. Tim. 6.
9.

C A P V T. VI.
Diuinae bonitatis iudicia, in Sacramento
Baptismi & Confirmationis, gratiaq;
diuina, mirabiliter suppedita-
tatis.

§. I.

Saulo fidei, Eunicho baptismi gratia quam in-
sperato oblata?

Vòd si, iudicio Dei, à pecunijs alijſque terrenis bonis homines de-
fertissimi tantā habent compensa-
tionem, vt vel diuinitus pecuniā inuentur,
vel alia accipient bona pecunijs longè præ-
stantiora: quid egenti non erit sperandum
de cœlestibus thesauris? Inter quos est di-
uina

uina à Christo promanans gratia , quæ minime opinantibus atque etiam haud merentibus sæpe affulget & datur ; diuinaque Sacra menta , quæ mirabili prouidentia instituta , mirabiliore modo nonnunquam hominibus offeruntur . Nempe non minùs menti , quam corpori mortalium iudicat prospiciendum Deus ; qui sæpe illa occasione aut ratione adest , qua minime putauis- ses . Ita ex Saulo Paulum fecit , quando eum Ecclesiam discipulosque Christi flagrantissime persequenterem , ipsa cæcitate oculorum , illuminauit . Ibat spirans minarum & cædis in discipulos Domini : & subito circumfulxit eum lux de cœlo . Ita vir AEthiops Eunuchus , potens Candacis regine AEthiopum , à Philip- po , in fide , eruditur insperato . Mittitur ab Angelo Philippus ad viam , quæ descendit ab Ierusalem in Gazam , & nec dum ipse scit , cur mittatur . Mittitur & ad currum , in quo sedebat Eunuchus . Occurrit locus oppor- tunissimus Isaiæ , de Christi Passione , pro- phetantis : occurrit & aqua : denique & ipsi Eunuco occurrit , vt diceret : Ecce aqua , quid prohibet me baptizari ? Ad hunc modum lauit AEthiopem , sed vtiliter , Deus , nihil minùs , quam , de hoc lauacro cogitantem , cum .

Act. 9. 1.

Act. 8. 27.

H 5 domo

domo exiisset. Sed tamen Saulus, quando in mala via iter faciebat; AEthiops, cum Deum quæsivit, conuersus est. Vnde admiranda Dei iudicia se se aperiunt, qui & sequentibus, & persequentibus venit obuius ad auxiliandum.

§. II.

Fides & miraculosus baptismus, à Petro Apo-
stolo custodibus, in carcere, ministran-
tur.

Baron. 1.
 2. An. 68.
 & Thom.
 Boz. lib.
 1. de sig.
 Eccl. c. 16.

Id autem, quod Eunicho baptizato, Paulóque conuerso euenit, in omnibus Sacramentis contigisse, potest ostendi. Nam in primis de aqua etiam diuinitus ad baptismū oblata, illud refert Baronius. Cū An. Christi sexagesimo octauo S. Petrus Apostolus in carcerem Mamertinum missus à Processo & Martiniano militibus asseruaretur, ipsos suos hos custodes ad Christi fidem adduxit. Iam crediderant; sed defuit aqua baptismū necessaria. Non defuit ergo Deus. Exemplò, quasi saxo vena esset secta, ita, in vicem sanguinis, fons erupit: qua aqua Processum & Martinianum tinxit Petrus. Nemo loco diffidat, qui Deo fudit. Nusquam & nunquam illi deest, quod prodest: quosq; mortalium iudicia sæpe abiectissimos ne pistrino qui-